



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

CDXVI. Bischof Heinrich's Verordnung wegen des Beitrages der Pfarrer zu Communallasten, wegen des Kirchenbesuches, des Besuches von Gasthäusern und der Gemeinschaft mit Juden, vom 6. Juni 1406.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

nuatim in festo beati Martini perfolvendos. Datum anno domini millesimo CCCCV<sup>o</sup>. feria tertia post dominicam Exaudi, nostro sigillo presentibus appenso.

Gerden's Stiffts-Historie S. 647.

**CDXVI. Bischof Heinrich's Verordnung wegen des Beitrages der Pfarrer zu Communallasten, wegen des Kirchenbesuches, des Besuches von Gasthäusern und der Gemeinschaft mit Juden, vom 6. Juni 1406.**

Hinricus, Dei et Apostolice sedis gracia Episcopus Brandenburgensis, presentem paginam omnibus auditoribus, salutem in omnium Salvatore. Nostre diocesis quidam Plebanorum ad nos accedentes, quidam querulose exposuerunt, quod eorum parrochiales trahere eos nituntur ad specialia eorum statuta et promissa, contra ecclesie jura et clericorum libertatem, videlicet ad ferendum clavam juxta scita, ad accusandum juxta scita enormitates et excessus, Item ad faciendum communia fossata et ad reparandum vias, sepes communes, pontes et eciam obstacula que dicuntur Slagen, et ad reparandum domos Pastorum et Fabrorum, atque ad portandum et suppellectilia eorundem. ceterum ad emendum et custodiendum ac reportandum thaurum aut hircum vel aprum, et ad dandum depaciones que dicuntur dingnisse proprie tu dude gesprochen, quas nisi de bonis mobilibus dari prohibemus: Item ad custodiendum montem vel turrin, ad videndum rubeta et hujusmodi multa. Cum igitur predicta omnia specialia juris ordinem non observent, omnibus vobis et singulis Plebanis et Viceplebanis nostre diocesis, predicta statuta et promissa districtius sub pena suspensionis officii inhibemus exercere; Quicumque eciam clericos traxerint predictam sententiam excommunicationis se noverint incurrisse. Ceterum si Faber sacerdoti laboraverit, et pastor sua pecora custodierit, cum parrochianis satisfaciat eisdem. Item sepes, fossas in suis agris et curiis specialibus, quemadmodum reliqui facere non recusent sacerdotes. Precipimus eciam ut altaria anteriora non consecrata, post ammonicionem infra mensem destruantur. Quod si facere recusent, ex tunc Plebani et sacerdotes a divinis, quousque destruant, cessabunt. Quidquid eciam in ecclesia loco quocunque oblatum fuerit, jure Canonico ad sacerdotes dinoscitur pertinere. Quicumque autem de oblacione hujusmodi se intromiserit, excommunicationis sententiam se noverit hoc facto incurrisse. Item nove imagines et trunci in ecclesiis et cimiteriis, vel infra ipsorum limites non locentur absque nostro consensu et Plebanorum hujusmodi locorum, pena sub premissa. Ne autem super jam dicta aliquod dubium valeat suboriri, presencium tenorem in sinodo sancta publicari mandavimus et fecimus. De Anno Domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. VI. ipso die Trinitatis.

Item mandamus quod quilibet Presbiter-parrochialis moneat populum suum, quod omni die dominica et festiva audiant totam missam in ecclesia sua parrochiali: alias contra facientes peccant mortaliter.

Item mandamus quod clerici et presbiteri edendi vel bibendi causa tabernas non ingredientur, nisi necessitate peregrinacionis compulsi, sub pena quinque marcarum, aliis penis contra tales expressis nichilominus in suo robore duraturis.

Item mandamus, quod nullus eorum, qui in sacro sunt ordine, aut laicus, cum iudeis habitet, aut aliquem eorum in infirmitatibus suis vocet, aut medicinam ab eis recipiat, aut secum bibant, aut manducent, aut balneantur, aut mancipia Christiana habeant. Si quis contra fecerit, excommunicetur.

Gerden's Stiffts-Historie S. 648-650.